IX.

17

DISSERTATIO HISTORICO-ECCLESIASTICA
DE
CURATIONE MORBORUM
per
OLEUM SANCTUM
ad Marci VI, 13. & Jacobi V, 14. seq.

Quam

Consensu summe Reverendæ Facultatis Theologicæ *in Alma Salana*

PRÆSIDE

JOAN. ANDREA Schmidt

PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

Domino Patrono, ac studiorum suorum Promotore omni observantiæ cultu ætatem suspiciendo

Publicæ Eruditorum disquisitioni

Ad diem JUNII A. Æ. C. M. DC. XCV.

In Auditorio Theologorum Majori

subjicit

M. CONRADUS GOTHOFREDUS Diestrunck

Sempronio-Hungarus SS. Theol. cultor.

JENÆ, Literis MULLERIANIS.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



JOVA JUVA.



DE olei in Sacris uſu apud Latinos æque ac Græcos, prolixum quis conſcribere poſſet commentarium, ſi ſaltim Simonis Majoli, Epiſcopi Vulturarienſis, (*a*) verba ſequi vellet. *Fiuntque, inquit, ex oleo in eccleſia DEI longè plura ſacramentorum arcana, quam rebus quibuscunque aliis: Nam adhibetur baptizato, adhibetur cum balſamo confirmando, adhibetur ſacerdoti ordinando, adhibetur morienti, adhibetur Epiſcopo, adhibetur Imperatori, Regibusque, quoque adhibetur eccleſiis & altaribus, adhibetur calici.* Interea autem donec occaſio nobis data fuerit in ſingula diſtinctius inquirendi, hac vice ſaltem agere lubuit, *de curatione omnis generis morborum per oleum ſanctum*, cujus per multa tempora, ab ipſis Chriſti diebus in carne ad ſequentia ſecula, plurima exempla adducere poſſumus. Sic ſtatim nobis ſe offert factum Apoſtolorum, quod Marcus notavit cap. VI, 12. Καὶ ἐξελθόντες ἐκήρυσσον, ἵνα μετανοήσωσι.

(*a*) *Dier. canicul. colloq. XXI. p. 242.*

Καὶ δαιμόνια πολλὰ ἐξέβαλλον, καὶ ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀῤῥώστους καὶ ἐθεράπευον. *Et exeuntes prædicabant ut pœniterent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros & ſanabant.*

II. Etſi autem ex ipſa litera pateat, per hanc unctionem aliam nullam intelligi poſſe, quam curationem, infirmos priſtinæ ſanitati reſtituentem, nihilominus illam (*a*) Bellarminus ex ſuperabundanti contra ſuos quosdam, diverſum quid aſſerentes, non una ratione probavit: *Primò*, inquit, illa unctio, qua utebantur Apoſtoli, referebatur ſolùm aut præcipue ad curationem morbi corporalis, ut ex eo loco patet, unde etiam ſanabantur omnes, qui tum inungebantur: Sacramenta autem per ſe ad animam pertinent, ad corpus per accidens aut certe ſecundario. Deinde *ſecundò* Apoſtoli eo tempore nondum erant ſacerdotes, & quamvis potuerit Chriſtus etiam per non ſacerdotes ſacramenta conferre, tamen non eſt probabile, eum hoc feciſſe, nec legimus, id unquam factum in ſacramentis magis neceſſariis, ut in ſacramento pœnitentiæ vel evchariſtiæ &c. Accedit *tertio*, quod Apoſtoli tunc promiſcue ungebant quoslibet ægrotos, ut cœcos, claudos &c. At ſacramentum unctionis non datur, niſi iis, qui decumbunt cum periculo vitæ, ut omnes concedunt. Item *quartò* Apoſtoli tum, cum inungerent, non quærebant, eſſentne baptizati, qui inungendi erant, & omnino probabile eſt, multos ab eis inunctos, qui infideles erant. At certe ſine baptiſmo nihil proſunt ſacramenta cætera, nec dari poſſunt aut debent non baptizatis ſine peccato &c. Denique Tridentinum concilium Seſſ. XII. can. 1. de extrema unctione, dicit hoc ſacramen-

(*a*) *Lib. de extr. unctione lib. I. cap. 2. p. m. 1181.*

mentum insinuatum Marc. VI. Dicitur autem insinuari id, quod non expresse proponitur, sed adumbratur, & obscure indicatur. His respondeant illi, qui contrarium ex hoc loco evincere volunt. Nobis sufficiat habere Bellarminum confitentem, curationem hic intelligi, non extremam unctionem.

§. III. De hoc igitur loco certi, ab exemplo Apostolorum & praxi ad mandatum progredimur, quo Jacobus cap. V, 14. seqq. in Ecclesia suos adhortatur, quid circa infirmos & laborantes facere debeant? Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν, προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτὸν ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου, καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος, κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς, ἀφεθήσεται αὐτῷ. *Infirmatur quis in vobis, advocet presbyteros ecclesiæ & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini & oratio fidei servabit laborantem & eriget eum Dominus, & si peccata perpetraverit, remittentur ei.* Eandem vero esse hujus loci mentem cum priori illo, putamus constare posse, tum ex identitate subjecti, tum etiam ex eodem unctionis scopo. Quibus accedunt priorum seculorum commentatores vel Marci vel Jacobi, qui nec nobis, nec aliis suspecti esse possunt, hoc ipsô dum à nobis nostrisque rebus remotiores sunt, atque ignari ceremoniarum recens in ecclesiam introductarum, nec non controversiarum nostro demum ævo ventilatarum.

IV. Illos inter primo producimus Victorem presbyterum Antiochenum (a), autorem antiquissimum, sequentia scribentem: *His similia*, inquit, *exponit Lucas quoque. Verũ quod de mystica unctione & olei usubic subjungitur, hoc*

 inter

(a) *Comment. in Marc.*

inter Evangelistas solus Marcus commemorat. Interim quæ Apostolus Jacobus in sua canonica narrat, ab his non dissentiunt : scribit enim, infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus. *Oleum inter alia & laborum molestias mitigat, & lumen fovet & hilaritatem conciliat. Oleum igitur, quod in sacra unctione adhibetur, & DEI misericordiam, & morbi sanitatem, & cordis illuminationem denotat ; Dici tamen potest, orationem hæc omnia efficere : Oleum autem eorum omnium, quæ fiunt, externum tantum symbolum esse.* Et septimo seculo Eligius Lemovicensis in sermone illo, qui exstat in Appendice Tomi noni Augustini sub Tit. tractatus vicesimi de rectitudine catholicæ conversationis, idem sentit. *Propterea* (inquit) *quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur præcantatores, non divini sortilegi, non sortilegorum genus, neque per fontes aut arbores, aut bivia phylacteria exerceantur, sed cùm ægrotat in sola DEI misericordia confidat, & eucharistiam cum fide & devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde corpus suum ungatur & secundum Apostolum, oratio fidei salvabit infirmum & allevabit eum Dominus. Non solum corporis, sed & animæ sanitatem accipiet, complebiturque in illo, quod Dominus in Evangelio promisit, dicens, omnia quæcunque petieritis patrem in nomine meo in oratione credentes accipietis &c.* His similia habentur Capitularium lib. VI. (*a*) *Vt clerici vel laici phylacteria vel falsas scriptiones aut ligaturas, quas imprudentes pro febribus aut aliis pestibus adjuvare putant, nullo modo ab illis vel à quopiam christiano*

(*a*) *p. 934. Tom. I. edit. Baluz. Paris. 1676.*

ano fiant, quia magicæ artis insignia sunt; sed pro infirmitate illud, quod Apostoli & canones sanxerunt, id est, orationes & sacri olei unctio fiat.

V. Venerabilis Beda octavo seculo comment: in eundem locum S. Marci, cum Jacobi etiam verba allegasset: *Unde patet*, inquit, *ab ipsis Apostolis hunc S. Ecclesiæ morem esse traditum, ut energumeni vel alii quilibet ægroti ungantur oleo Pontificiali* (Episcopali) *benedictione consecrato.* Similiter dum commentatur in Jacobi verba: *Hoc* (inquit) *& Apostolos fecisse in Evangelio legimus, & nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur à presbyteris, & oratione comitante sanentur. Nec solum presbyteris, sed ut Innocentius Papa scribit, etiam omnibus christianis uti licet eodem oleo in sua aut suorum necessitate ungendo; quod tamen oleum non nisi ab Episcopis licet confici: Nam quod ait oleo in nomine Domini, significat oleum consecratum in nomine Domini, vel certe, quia etiam cum ungunt infirmum, nomen Domini super eum invocare debent.* Bedam sequitur nono seculo Amalarius Fortunatus Archiepiscopus Trevirensis: (a), *Apostoli* inquit, *hac arte*, i.e. *oleo utebantur in redintegratione infirmorum, Apostolici viri in consignatione Neophytorum. Quapropter non sine peccato à nobis potest dimitti, quod eorum autoritas consecravit: Sic enim scriptum est in Evangelio: Exeuntes prædicabant &c.* quibus subjicit verba Bedæ ad Jacobum provocantis. Huc quoque referri debent testimonia Alcuini Lib. de officiis div. & Ordinis Romani paulo prolixiora, infra tamen forte adducenda, quando de consecratione & applicatione hujus olei agendum fuerit.

VI. Ab his non recedit Patrum (b) Cabilonensium de

(a) Lib. de Div. offic. c. 12. (b) Concil. Cabilon. II. c. 48.

decretum : *Secundum B. Apostoli Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopo benedicitur, à presbyteris ungi debent. Sic enim ait:* infirmatur quis in vobis &c. *Non est itaque parvi pendenda hujusmodi medicina, q.. animæ corporisque medetur languoribus.* Huic addimus ex seculo undecimo testimonium Theophylacti, qui tamen pro more, ut alias Chrysostomum, sic hoc loco Victorem exscripsit. Verba ejus commentario in Marcum sunt seqq. *Quod unxerint oleo Apostoli solus Marcus narrat; quod & frater Domini Jacobus in Catholica Epistola dicit:* infirmatur quis inter vos, advocet presbyteros Ecclesiæ, & orent super illum, ungentes eum oleo. *Est igitur oleum & ad labores utile & lucis fomentum & hilaritatis effectivum, significatque misericordiam DEI & gratiam spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem ac gaudium hilaritatemque spiritualem accipimus.* Et circa eadem tempora Oecumenius Comm. in Epist. Jacobi ad verba: Ungentes oleo: *Hoc,* inquit, *etiam Domino cum hominibus versante Apostoli fecerunt, infirmos ungentes oleo & sanantes.* Agmen claudat Cajetanus notissimus ille, præcipue in negotio reformationis, Cardinalis, qui ad locum Jacobi: *Nec ex verbis,* inquit, *nec ex effectu verba hæc loquuntur de sacramentali unctione extremæ unctionis; Sed magis de unctione, quam instituit Dominus JEsus in Evangelio à discipulis exercendam in ægrotis. Textus enim non dicit: Infirmatur quis ad mortem, sed absolute: infirmatur quis, & effectum dicit infirmi allevationem, & de remissione peccatorum non nisi conditionaliter loquitur, cum extrema unctio non nisi prope articulum mortis detur, & directe (ut ejus forma sonat*

sonat) tendit ad remissionem peccatorum. Præter hoc quod Jacobus ad unum ægrum multos presbyteros tum orantes tum ungentes mandat vocari, id ab extremæ unctionis ritu alienum est. Sed satis testimoniorum circa utrumque locum Jacobi & Marci.

VII. Ad exempla dum progredimur, Justinus Martyr & Irenæus curationum, virtute divina peractarum, mentionem quidem faciunt, an illæ autem, quod tamen pro ratione praxeos illorum temporum probabile, mediante oleo factæ sint, non exprimunt. Primus est Tertullianus, qui in libro ad Scapulam (*a*) exemplum tale adducit. *Nam & cujusdam Notarius cum à Dæmone præcipitaretur, liberatus est : Et quorundam propinquus & puerulus, & quanti honesti viri (de vulgaribus enim non dicimus) aut à dæmoniis aut valetudinibus remediati sunt. Ipse etiam Severus pater Antonini christianorum memor fuit. Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodeæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit. Et in palatio suo habuit usque ad mortem ejus, quem & Antoninus optime noverat, lacte christiano educatus.* Huc forsan referri potest, quod habetur in libro de præscriptionibus adversus hæreticos, (*b*) de mulieribus hæreticis : *Ipsæ*, inquit, *mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere.* Ubi per curationes repromittere nihil aliud videtur intelligere, quam extraordinarie per oleum ægrotos restituere, cum author alios actus ministeriales recenseat, nimirum docere, contendere, exorcismos agere & tingere. Seculo quarto Hieronymus in vita

B Hila-

(*a*) *Cap. IV. pag. m. 92. Edit. Pamelianæ col. Agryp. 1617.*

(*b*) *cap. XLI p. m. 241.*

Hilarionis Monachi (*a*) similem curationem, benedicto oleo factam, notavit. *Ecce autem* (inquit) *sitiens arenosaque regio, postquam pluviis irrogata est, tantam serpentum & venenatorum animalium ex improviso ebullivit multitudinem, ut percussi innumerabiles, nisi ad Hilarionem concurrissent, statim interirent. Benedicto itaque oleo universi agricolæ, atque pastores tangentes vulnera, certatim salutem resumebant.* Et alibi de eodem (*b*) refert, *Constantiæ cujusdam sanctæ fæminæ generum & filiam unctione olei de morte liberasse.*

VIII. Martinus Episcopus Turonensis, si Sulpitio Severo (*c*) credimus idem præstitit. Curationum enim tam potens in eo gratia erat, ut nullus fere ad eum ægrotus accesserit, qui non continuo receperit sanitatem: quod vel ex consequenti liquebit exemplo. Treveris puella quædam, dira paralysis ægritudine tenebatur ita, ut jam per multum tempus nullo ad humanos usus corporis officio fungeretur, omni ex parte præmortua, vix tenui spiritu palpitabat. Tristes ad solam funeris exspectationem assistebant propinqui; cum subito nunciatur ad civitatem illam venisse Martinum. Quod ubi pater puellæ comperit, cucurrit, exanimi pro pro filia rogaturus. Et forte Martinus jam Ecclesiam fuerat ingressus. Ibi inspectante populo, multisque aliis Episcopis præsentibus, ejulans senex, genua ejus amplectitur dicens: Filia mea moritur misero genere languoris, &, quod ipsa est morte crudelius, solo spiritu vivit, jam carne præmortua. Rogo ut eam adeas; atque benedicas: Confido enim quod per te reddenda sit sanita-

ti.

(*a*) *cap. XXVII.* (*b*) *cap. XXXIIX.* (*c*) *In vita Mart. cap. XVI. p.m. 197. seq.*

ti. Qua ille voce confusus obstupuit & refugit dicens, hoc suæ non esse virtutis, senem errare judicio, non esse se dignum, per quem Dominus signum virtutis ostenderet. Perstare vehementius flens pater, & orare ut exanimem visitaret. Postremo à circumstantibus episcopis ire compulsus, descendit ad domum puellæ. Ingens turba pro foribus exspectabat, quidnam Dei servus esset facturus. Ac primum, quæ erant illius familiaria in istiusmodi rebus arma, solo prostratus oravit. Deinde ægram intuens dari sibi oleum postulat: quod cum benedixisset, in os puellæ vim sancti liquoris infudit, statimque vox reddita est. Tunc paullatim singula contactu ejus cœperunt membra viviscere, donec firmatis gressibus, populo teste surrexit. De Macariis duobus, & Pambo atque Heraclide & cæteris Antonii discipulis, refert Sozomenus. (*a*) *Δέγεται δὲ ποτε προσδοκωμένου αὐτοῖς ἐπιθήσεσθαι τῶν στρατιωτῶν, διακομισθῆναι τινὰ πρὸς αὐτοὺς ἐκ πολλοῦ τὰ ἄρθρα ἀπεσκληκότα, καὶ ἐπὶ ποδῶν στῆναι μὴ δυνάμενον· ἐπεὶ δὲ ἐλαίῳ τοῦτον ἔχρισαν, παρεκελεύσαντο, ἐπ' ὀνόματι Χριστοῦ, ὃν Λούκιος διώκει, ἐξανίστασθαι, καὶ οἴκαδε ἀπιέναι· ἐξαπίνης δὲ ὑγιὴς γενόμενος ὁ ἄνθρωπος. Porrro eo ipso tempore, quo milites in eos impetum facturi erant, quidam ad eos perlatus esse dicitur, cujus artus jam dudum ita arefacti erant atque extenuati, ut pedibus insistere non posset: quem cum oleo unxissent, jusserunt ut in nomine Christi, quem Lucius persequebatur, exsurgeret ac domum rediret. Ille autem repente sanatus.* Palladius verò in Historia Lausiaca (*b*) de Benjamine Nitriensi Monacho, *dignatus* (inquit) *fuit gratia curationum, adeo ut cuicunque manus imposuisset, aut quod benedi-*

(*a*) *H.E. L.VI. cap.20. p. 662. seq.* (*b*) *cap. XIII.*

nedixerat oleum, dediſſet, qui laborabat, liberaretur ab omni ægritudine. Apud eundem Joannes Lycopolites,(*a*) cum cuidam fratri vehementer febricitanti tradidiſſet oleum, juſſit eum inungi. Cum is autem ſe inunxiſſet, quicquid intus habebat, per os emiſit, & à febre omnino liberatus, propriis pedibus receſſit ad hoſpitium. Idem Ioannes mulierem quandam, ſenatoris viri uxorem, pupillis oculorum albugine obductis laborantem miſſo oleo, quo illa tres dies oculos inuncta eſt, ſanavit. Hunc ait Palladius non peregiſſe quidem apertè curationes, dediſſe vero oleum & ita multos curaviſſe. Auguſtinus (*b*) etiam ſcribit Hipponenſem quandam virginem, cum ſe oleo perunxiſſet, cui pro illa orans presbyter inſtillaverat lacrymas ſuas, mox à dæmonio fuiſſe ſanatam.

IX. Plurima talia exempla leguntur apud Gregorium Turonenſem (*c*) de Hoſpitii Nicenſis recluſi miraculis, multa narrantem, ſenſiſſe nimirum aliquando virum beatum per ſpiritum Domini adeſſe virtutem, jusſiſſeque infirmium ſibi repræſentari. *Qui cum veniſſet ille*, inquit Gregorius, *aſſumpto oleo benedictione ſanctificato, tenens manu ſiniſtra linguam, ejus ori, verticique capitis infudit, dicens in nomine Domini mei JEſu Chriſti aperiantur aures tuæ, reſeretque os tuum virtus illa, quæ quondam ab homine ſurdo & muto noxium ejecit dæmonium. Et hæc dicens interrogat nomen, ille vero* (qui hactenus mutus & ſurdus fuit) *clara voce ait, ſic dicor.* Mox alium quendam nomine Dominicum à nativitate cœcum eodem modo memorat ſanatum, *oleo benedi-*

(*a*) *cap. XLIII.* (*b*) *Lib. XXII. de Civ. D. cap. 8.*
(*c*) *Hiſt. Franc. lib. 6. c. 6.*

dicto (inquit Gregorius) *super oculos ejus crucem sanctam faciens* Hospitius ait: *In nomine JESU Christi redemptoris nostri aperiantur oculi tui. Et statim aperti sunt oculi ejus.* Sic etiam mulier quædam energumena, cum eam ille tactu sacro benedixisset, atque ex oleo sancto crucem fronti ejus imposuisset, ejectis dæmonibus, purgata discessit. Septimo quoque seculo usum hujus olei à Cuthberto Lindisfarnensi Episcopo adhibitum fuisse testatur Beda: (*a*) *Dum more suo* (inquit) *pertransisset universos docendo, devenit in vicum quendam, in quo erant sanctimoniales non multæ, quarum una tenebatur gravissimo languore depressa. Per integrum namque annum intolerabili capitis & totius lateris alterius dolore vexata, funditus à medicis erat desperata, indicantibus autem de illo viro DEI, & pro sanatione ejus obsecrantibus his, qui venerant cum eo, miseratus ille miseram unxit oleo benedicto; quæ ab illa mox hora meliorari incipiens, post dies paucos plena sospitate convaluit.*

X. Nec desunt in monumentis Ecclesiæ græcæ, à Joh. Bapt. Cotelerio editis; talia exempla præcipue de oleo in Euthymii sepulchro reposito. (*b*) Ὑπὸ δὲ τοὺς αὐτοὺς χρόνους καὶ Καισαριός τις Ἀντιοχεὺς, πάθει τινὶ περιπίπτει σωματικῷ, σφόδρα χαλεπῷ· ἐπεὶ δὲ τοῦτο χειρὸς ἠπόρει θεραπευούσης, παρὰ τὸν τάφον καταφεύγει τοῦ θαυμαστοῦ Εὐθυμίου· καὶ τὸ ἐκεῖθεν ἔλαιον, ἀπαλλαγὴ τοῦ πάθους εὐθὺς, τῷ ἀνθρώπῳ γίνεται, μόνον ἐπιχρισθέν. *Sub eadem etiam tempora* (regnante Anastasio) *Cæsarius quidam Antiochenus, incidit in corporis morbum gravissimum. Quoniam vero deerat manus curatrix, confugit ad sepulchrum admirabi-*

(*a*) *in vita Cuthb. c. 30.* (*b*) *in vita Euthymii Tom. II. §. 227. p. 309.*

rabilis Euthymii, & quod illinc erat oleum, fit statim homini morbi depulsio, ubi duntaxat inunctio facta est. In eadem vita (*a*) notatur de muliere, quàm dæmon gravis invaserat. Hæc cum viro monasterium adiit, faciens ea quæ poterat, jejunio utens & oratione, singulisque vesperis bibens ex thecæ aqua sanctificata cum oleo lucernæ. Porro tertia consequenti nocte, ei magnus apparens Euthymius, ecce, inquit, sana facta es, vade in domum tuam, statimque & morbus est dissolutus, & cessavit insania, demumque mulier mentis compos revertitur. (*b*) Similiter in vita Sabæ quæ quoque in monumentis continetur, puella ab impuro dæmone vexata, per oleum omni cultu dignæ crucis curata fuit. Plura exempla Ecclesiæ græcæ, sæpe dubia, suspecta & superstitiosa vid. collecta apud Carolum du Fresne, (*c*) ex vita Jo. Solitarii, Eudocimi, Cyri & Johannis, Pachomii, Nili Junioris, Georgii Mart. Eupraxiæ Virginis, Artemii, Lucæ Junioris, Bachi Junioris, &c. nec non ex Ecclesia latina apud eundem du Fresne. (*d*)

XI. Eundem morem adhuc hodie retinet Ecclesia græca Orientalis, ceu patet ex Evchologio sive Rituali Græcorum, quod nobis exhibet. Ακολȣθίαν τȣ ἁγίȣ ἐλαίȣ, *Officium sancti olei.* Hoc autem sanctum oleum ejusque officium diversum esse à Latinorum extrema unctione, coguntur quidam Ecclesiæ Romanæ addicti fateri. Sic enim Jac. Goar. scribit: Pluribus diligenter & curiose volutis M. S. Romanis codicibus, vix unum

(*a*) *Loc. cit. p. 325.* (*b*) *Tom. III. p. 329.* (*c*) *Glossar. med. & infimæ græcitatis p. 371. seq.* (*d*) *in Glossario. med. & inf. latinitatis Tom. III. p. 44. adde etiam Joh. Dallæum libro 2. de ex extrema unctione cap. 6. p. 84. seqq.* (*e*) *pag. 408. seqq.*

num reperire potui; in quo unctionis extremæ scriptum manifeste reperirem officium : Unde & in doctissimi Allatii paratus ire sententiam, qua censet, Orientalem Ecclesiam hoc ultimo sacramento destitutam. Atque id conformiter Græcorum confessioni, quam edidit Metrophanes Critopulus Hieromonachus quidam & Patriarchalis Constantinopolitanus protosyngelus; beatus a Jo. Horneius latinitate donavit Helmst. 1661. In ea expresse sequentia proferuntur : Καλεῖται δὲ τοῦτο εὐχέλαιον, οὐκ ἐχάτη χρίσις, οὐ γὰρ μένομεν τὰ λοίσθια τοῦ κάμνοντος καὶ τότ᾽ εἰς ταύτην ἐρχόμεθα, ἀλλ᾽ ἔτι ἐλπίδας ἀγαθὰς ἔχοντες, ὑπὲρ τῆς ὑγιείας ἐκείνου χρώμεθα τούτῳ τῷ μυστηρίῳ, εἴτ᾽ οὖν μυστηριώδει τελετῇ, δεόμενοι τοῦ Θεοῦ, ἰατρεῦσαι τοῦτον καὶ τῆς νόσου διὰ τάχους ἀπαλλάξαι· ὥστε οὐχ ἅπαξ τοῦ βίου, ἀλλὰ καὶ πολλάκις ἔξεστι χρῆσθαι τούτῳ· καθὰ καὶ, τοῖς ἰαματικοῖς φαρμάκοις τοσαυτάκις χρώμεθα, ὁσάκις νοσήσομεν. *Cæterum hoc Euchelæum, non vocatur extrema unctio; neque enim extrema ægroti exspectamus, & tunc ad hanc accedimus: Verum bene adhuc de valetudine ipsius sperantes, utimur isto mysterio sive mystica ceremonia, precantes Deum, ut sanare eum velit atque à morbo quam citissime liberare. Itaque non semel (duntaxat) in vita : sed & sæpius illo uti licet, quemadmodum etiam medicantia pharmaca toties adhibemus, quoties ægrotamus.* Nec abludit ab illa ultimo edita confessio orthodoxa catholicæ atque apostolicæ ecclesiæ orientalis per Nectarium DEI misericordia patriarcham sanctæ urbis Hierosolymorum, omnisque Palastinæ Constantinopoli anno cIↃIↃcLXII, & hoc anno cum interpretatione latina Lipsiæ primum data per Laurentium Normannum, Regium in Academia Uspaliensi Græcarum literarum & Sanctæ Theolo-

giæ

giæ Profeſſorem celeberrimum. Etſi enim hæc, τὸ εὐχέλαιον oleum benedictum inter ſeptem myſteria referat, tamen ex quæſtione 117. & quæſtione 119. conſtat, quod ſanitatem corporis quoque reſpiciat. Sic enim ſe habet reſponſio ultima. Τὰ διάφορα καὶ καρποὺς ὅπου γεννοῦνται ἀπὸ τὸ μυστήριον τοῦτο, ὁ Ἀπόστολος Ἰάκωβος τοὺς ἑρμηνεύει λέγοντας ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ἢ σωτηρίαν ψυχῆς, ἔπειτα ὑγείαν τοῦ σώματος, κατὰ καὶ πάντοτε ἡ θεραπεία τοῦ σώματος γὰ μὴν γίνεται, ἀλλ' ἡ ἄφεσις τῶν ἁμαρτίων τῆς ψυχῆς πάντοτε εἰς τὸν μετανοοῦντα ἀκολουθῆ. *Emolumenta ac fructus myſterii enarrat Apoſtolus Jacobus*, (loco modo adpoſito :) *Nimirum criminum admiſſorum gratiam, ſive ſalutem animæ, atque ſanitatem etiam corporis, quæ utut non ſemper obtineatur, certe remiſſio peccatorum animæ in pœnitente ſemper obtinetur.*

XII. In Eccleſia Latina poſteriori quoque retentam fuiſſe unctionem infirmorum, diſtinctam ab extrema unctione, conſtat ex Rationali Guilielmi Durandi. (*a*) Agnoſcit & Baronius (*b*) duplex genus unctionis, quod ad curandos infirmos à Chriſtianis adhiberi conſvevit, reperiri; *alterum quod ab Epiſcopo ſolenniter benedicitur, & per presbyteros miniſtratur infirmis; quod cum & vim habeat dimittendi peccata, ſacramentum dictum à majoribus habetur; nec aliis quam fidelibus, ſicut cætera ſacramenta, tribui ſolet; alterum vero, quod paſſim à quibuscunque fidelibus ad ſanandos quoscunque ægrotos, ſupra vim naturalem divina adjuvante gratia, adhiberi ſolitum fuit, cujus tamen nulla ſit virtus ſacramenti; ſed quod contineret virtutem, quam fides, vel merita dantis vel ſuſcipientis, prævia benedictione*

(*a*) *lib.1.p.m.11.a. & lib.6.p.m.102.b,103.a, ad ann. Chriſti 63.§.31.p.m.685.ſeq.*

ne signo crucis impertita, soleant impetrare. Horum alterum in Jacobo, in Marco alterum testatum habetur. Quemadmodum vero recte scribit Baronius, alterum unctionis genus contineri in Marco, nim. illud quod sanationi infirmorum destinatum fuerat, sic in eo errat, dum alterum, quod sacramentum esse volunt, in Jacobo contineri putat, ceu infra patebit. Ut nunc nihil dicam, eum ne recte quidem sentire circa unctionem infirmorum quorumlibet, cum fidei jungat merita vel dantis vel suscipientis, quæ soleant virtutem impetrare.

XIII. Sic ergo usum olei in curandis infirmis ab ipsis Christi diebus, primordiisque Ecclesiæ Novi Test. ad hæc usque tempora, maximè in Græca Ecclesia, satis jam prolixe deductum putamus. An verò ultra illa tempora ex aliis Hebræorum modis inungendi in Vet. Test. usitatis deduci debeat, non satis liquet. Certe in Vet. Test. non extat exemplum curationis morborum per oleum; licet forte extra codicem sacrum testimonia adducere possemus, de viris in Synagoga Judaica claris, è quibus forte usus olei etiam in synagoga antiquiori colligi posset. (a) *Dicit R. Simeon Ben Eliefer: Permisit R. Meir vinum atque oleum miscere, atque ægrotos ungere sabbato. At cum iste aliquando ægrotaret; nosque idem ei facere vellemus, non permisit.* (b)

XIV. Simplex autem an compositum fuerit hoc medicamentum, iterum variant authores, pro diversis ecclesiarum constitutionibus. Primis temporibus fuisse adhibitum oleum olivarum, maxime probabile est: partim quia, si absolute ponatur oleum, simpliciter illud

C intel-

(a) *Hieros. Berac. fol. 3. 1.* (b) *recitatur hac historia Schabb. fol. 14. 3.*

intelligi videtur: partim quod etiam in Vet. Test. ad præceptum divinum istud adhibitum fuit; partim quia in Palæstina ejus non exigua dabatur copia. Hujus vero 3 species olim erant. (1) Quod sponte fluebat ex olivis. (2) Quoddam excussum, & ultimo. (3) Quoddam erat expressum. De qua ultima specie Columella. (a) *Baccæ diligenter mundatæ protinus in torcular deferebantur, novisque fiscinis inclusæ integræ, prælo subjiciebantur, ut quantum posset paulisper exprimeretur. Postea resolutis corticulis emoliebantur: Quod deinde primum effluxisset in rotundum labrum protinus copulator deplebat & in fictilia labra huic usui præparata defundebat &c. Molæ vel submitti vel etiam elevari poterant pro magnitudine baccarum, ne nucleus, qui saporem olei vitiat, confringeretur.* An vero semper una ex his speciebus adhibita fuerit, an vero indifferenter nunc hæc, nunc illa, determinari à nobis vix poterit: licet probabile sit in tali casu optimam, si haberi potuerit, fuisse sumptam. Cæterum etiam Hieronymus in comment. ad XIV. Hos. (b) ad oleum olivæ præcipuè respicit, scribens: *Cujus olivæ fructum quinque sibi sapientes virgines paraverunt. Ex quo vulnerum mitigatur tumor: langventis membra requiescunt: In tenebris lumen accenditur: unguntur in agone certantes.* In Ecclesia latina hodienum requiritur oleum olivarum. In Ecclesia græca oleum vino miscetur, respectu habito ad parabolam, in qua Samaritanus ei, qui in latrones inciderat, infudit vulneribus oleum & vinum. Quam rationem etiam dedit Metrophanes Critopulus. (c) Non ergo video cur in officio S. olei, quod

(a) *Lib. XII. cap. 50.* (b) *Tom. VI. f. 24. E.* (c) *Loc. cit. pag. 120.*

quod habetur in Evchologio Græcorum, (a) hic mos restringatur ad magnam Ecclesiam: ἰςέον ὅτι ἐν τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ ἀντὶ ὕδατος, οἶνον εἰς τῆς κανδήλαν τοῦ εὐχελαίου βάλλουσιν. *Sciendum in magna Ecclesia, vice aquæ, vinum in lucernam oleum benedictum continentem infundi.* An vero etiam particula veræ crucis (ex qua oleum sanctæ crucis dictum volunt) immissa olim fuerit, dubitando saltim proponit Car. du Fresne; (b) cum vel nullis authorum testimoniis hæc sententia fulciatur, vel si in quibusdam locis, de ligno S. crucis (re admodum dubia) gloriantibus, id factum fuisse concederemus, non tamen ex omnium Ecclesiarum more ita constitutum diceremur. Mentionem quidem fecit hujus olei Gregorius M. (c) à Leontio exconsule transmissi sequentem in modum scribens. *Hoc etiam valde gaudemus, ut munera quæ transmisistis vestris moribus dissimilia non fuerint. Oleum quippe Sanctæ crucis: Et aloes lignum suscepimus. Unum quod tactum benedicat. Aliud quod per incensum redoleat.* Non autem exprimit unde ita appelletur, aliud enim est quod scribit Beda: (d) *De nodis ligni sancti liquorem odoriferum oleo similem profluxisse, cujus si etiam modica particula contingeret, omnem ægritudinem sanabat.* Hausit id ab Adamnano, (e) qui an ex fama, an ex certa alicujus Ecclesiæ consuetudine referat, non constat: potius infra, cum de consecratione hujus olei quædam dicenda erunt, ex alio capite denominationem olei sanctæ crucis deducemus. Denique non tam ad materiam quam ad actio-

(a) *pag. 413.* (b) *Glossar. Græc. pag. 372.* (c) *Lib. VII. Indictione I. Epist. XXXIV. f. 1403. M.* (d) *De Locis lib. c. 20.* (e) *Lib. III. de Terra sancta c. 3.*

onem circa materiam referri debent, preces per quas oleum illud tum consecratum tum adplicatum fuit; & exinde Εὐχέλαιον oleum cum oratione consecratum, sive oleum precum sive precatiolium dicitur, (a) de quo iterum suo loco.

XIV. Ex his omnibus tamen colligi potest, oleum hoc à Græcorum unguento, (b) quod Græci post baptismum adhibere solent, diversum esse: cum hoc variis aromatum speciebus (c) constet, illud non item. Imo ipsa vox μύρου, (d) quam ἀπὸ τοῦ ἐλαίου diversam statuit Cyrillus; plurimum sibi ad invicem admixtorum congeriem sonat; quod ex Justini M. (e) loco inferri proclive est, καὶ ὅτι τὸ χρίσμα πᾶν ἐλαίου, εἴτε σακτῆς, εἴτε τῶν ἄλλων τῶν τῆς συνθέσεως τοῦ μύρου χρισμάτων τούτου ἦν, ὁμίως ἀπεδείξαμεν. *Non minus quoque chrisma & unguentum omne, sive olei, sive aloæ, sive aliarum ex unguentorum compositione unctionum, hujus fuisse, itidem ostendimus.*

XV. Cur autem præcise oleum elegerint, non duntaxat ex consvetudine multorum temporum constanti, sed etiam ex eo deducunt, quod oleum divinæ misericordiæ typum præ se ferat. Sic enim Simeon Thessalonicensis, δία τί καὶ ἐν τῷ ἁγίῳ καὶ μεγάλῳ μύρῳ καὶ ἔλαιον ἐν τῷ εὐχελαίῳ, ὅτι κἀκεῖ, καὶ ἐν ταῦτα τύπον θείου ἐλέους ἔχει ἔλαιον. *Qua ratione in sancto, & magno*

(a) *à Io. Iac. Hoffmanno Lex. Univ. cont. T. II. p. 287.* (b) *De quo vid. Metroph. Critopul. l. c. cap. IIX. p. 87. seqq. Orthodoxa confessio E. C. recentior jam citata quæst. 104. seqq. pag. 161. seqq.* (c) *Quas vide singulas in Euchologio sæpius citato enumeratas p. m. 637. & seqq. ex diversis MStis Barbenni.* (d) *Catech. 3.* (e) *Dial. cum Tryph. Iud. p. m. 313. B.*

gno unguento, & in extrema unctione (sic communiter Latini reddunt εὐχέλαιον) adhibetur oleum. Quia tam hic quàm ibi divinæ misericordiæ typum præferrt oleum. Et jam ante ipsum Theophylactus in cap. VI. Marci p. 218. Ἐστι τὸ ἔλαιον καὶ πρὸς κόπους ὠφέλιμον, καὶ φωτὸς αἴτιον, καὶ ἱλαρότητος πρόξενον, καὶ σημαίνει τὸ ἔλεος τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν χάριν τοῦ πνεύματος, δι' ἧς καὶ κόπον ἀπαλλαττόμεθα· φῶς καὶ χαρὰν, καὶ ἱλαρότητα πνευματικὴν δεχόμεθα. *Oleum & ad labores utile est, & lucis fomentum & hilaritatis effectivum, significatque misericordiam DEI, & gratiam spiritus, per quam à laboribus liberamur, & lucem ac gaudiũ, hilaritatemq; spirituale͂ accipimus.*

XVI. In Rationali Guilielmi Durandi, (n) ad quæstionem, *quare infirmi & catechumeni oleo intinguntur?* respondetur: *ut ex visibilibus invisibilia facilius capiantur: Sicut enim oleum, fugando infirmitatem, recreat artus fessorum, & de sui natura lumen præstat: sic credendum, quod unctio olei consecrati, quoddam est signum fidei: peccata fugando sanitatem animæ confert, & lumen ei præstat. Siquidem oleum visibile in signo: oleum invisibile in sacramento: & oleum spirituale intus est. De oleo infirmorum auctoritatem accepimus ab Apostolis: de oleo catechumenorum ab Apostolicis &c.* Tirinus aliam adducit rationem, nimirum unctionem illam *nudam ceremoniam fuisse, ad hoc solum adhiberi jussam à Christo, ut congruo symbolo testatum facerent Apostoli, se missos à Messia, seu à Christo, id est, Uncto; virtutemque qua ægrorum corpora curabant, ab eo promanare, quem unxit Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis.*

XVII. An verò oleum hoc, primis statim tempori-

 bus

(n) *pag. m. 11. & jam ante Amalatius E. O. 12.*

bus consecratum per preces, quando simul applicatum fuit, an verò consecratum & ad futuros demum usus asservatum, definiri satis non potest. Quamvis forte probabilius quid sit, si prius asseramus; quemadmodum & posteriori ævo Græci non videntur oleum infirmis ungendis in vase separato asservare, nisi forte in magna Ecclesia, in una ex appensis lampadibus, quæ idcirco vocabatur κανδήλα τȣ͂ εὐχελαίȣ, prout videre est in officio olei. S. (a) Distinctius hæc exponit Thessalonjensis: Καὶ ἔλαιον, inquiens, ἐν φωταγωγῷ ἐπιβάλλεται, ἢ ἐν σκεύει, ἢ ἄλλῳ τινὶ, ἐν ᾧ καὶ ἑπτὰ ἀνάπτεται φῶτα κατ' ἀριθμὸν τῶν ἱερέων, καὶ εἰς τύπον τῶν χαρισμάτων τȣ͂ πνεύματος: καὶ ὅτι ὡς λυχνία διὰ τȣ͂ ἁγίȣ ἐλαίȣ γίνεται, καὶ ὡς ὁλοκάρπωσις καὶ θυσία καθαρὰ θεῷ ἀναφέρεται. *Oleum deinde in lucernam immittitur, aut in vas aliud, in quo septem elychnia juxta sacerdotum numerum & in figuram gratiarum spiritus accenduntur, & quia ut lucerna per sanctum oleum evadit & velut holocaustum & sacrificium mundum DEO offertur.* Alias autem videtur, ac si tum demum, cum applicari debuit, consecretur sive in templo, si ægrotus eo venire potest: sive in domo, si morbo oppressus in templum ire non valuerit, dum precantur: ἁγίασον τὸ ἔλαιον τȣ͂το *sanctifica oleum hoc.* (b) Ex historia autem medii ævi apparet, oleum hoc consecratum prius, postea fuisse asservatum vel in lucerna, vel repositum in sepulchris martyrum.

XVIII. Ad consecrandum requiruntur hodie imo multis retro temporibus à Græcis ordinarie septem presbyteri, licet fieri possit, ut pauciore sint quam se-

(a) *Euchol. p. 413.* (b) *Critopulus l. c. p. 119. seqq.*

septem, imo ut aliis absentibus numerus ad unum contrahatur. Rationem numeri septenarii nobis suggerit Simeon Thessalonicensis: *Et DEI quidem frater Jacobus presbyterorum numerum non exprimit: at verò septem esse vocandos consuetudine traditum est: quod fieri arbitror propter dona septem, quæ apud Esaiam numerantur: vel propter illos septem antiquæ legis sacerdotes, qui divino jussu circumeuntes urbem Hiericho, septies tubis cecinerunt & mœnia diruerunt: ut etiam septem sacerdotes nequitiæ urbem diraque mœnia altitudinem peccati demoliantur: vel etiam tanquam mortua existente anima, ut supra puerum istius Sunamitidos, ad imitationem prophetæ septies orent sacerdotes, & eam suscitent, prout sane excitavit puellum Elisæus, septies reversus, septies iterum precatus: vel quemadmodum Elias septies orans, cœlum quod pereuntibus clauserat, iterum aperuit atque deduxit pluviam; sic isti septies deprecati, solvant quidem squallorem peccati, accepto verò gratiæ clavi, non secus atque Petrus aperiunt cœlum, atque misericordiam remissionis, velut imbrem à DEO deducant. Is autem sensus est, ut mea fert sententia, septenarii numeri.* Quamvis vero pauciores admittat Simeon presbyteros, plures tamen uno adesse vult, notante Goaro; *(a)* quod an ex necessitate sit non videmus, cum referente Critopulo *(b)* unus reliquorum officia supplere possit, ceu statim dicetur. In latina ecclesia consecrandi officium videtur ab Episcopo solo peractum, ut apparet ex Innocentii primi epistola & Decentium Eugubinum Episcopum, ex concilio Cabilonensi supra citato, Aquisgranensi statim citando, & ex Capitularium libro sexto

(a) l.c.p.431. (b) l.c.p.119.& 121.

ſexto Cap. CLXXIX. ubi omnes presbyteri oleum infirmorum ab Epiſcopo expetere jubentur.

XIX. A Iacobo non determinatur numerus presbyterorum accerſendorum, ſed abſolute dicitur: accerſat presbyteros Eccleſiæ. Per hos autem intellectos vult Seldenus (a) non ſolum chriſtianos, nec ſolum ordinatos, ſed presbyteros ſeu Chriſtianos ſeu Iudaicos qualescunque, adeoque presbyteros plateæ, privatos, vulgares, laicos, juxta uſum vocis apud Hebræos tunc notisſimum. Etenim epiſtola hæc catholica ſcribitur, duodecim Tribubus τοῖς ἐν τῇ διασπορᾷ quæ in diſperſione ſunt: ad univerſos igitur Iudæos ſic diſperſos, quos fratres indiſcriminatim pasſim vocat, tamen non credentes, interim eos invitans ad fidem. Et advertendum ſtatim verba illa de presbyteris, oratione ac inunctione facta, apud S. Iacobum ſeq. ἐξομολογεῖσθε confitemini &c. quibus præſcribere videtur, quod res tota in peccatorum confesſione, eaque inter ſe adinvicem, & in oratione efficaci, quæ in omnes cadere posſunt, revera conſiſtere potuiſſet. Quæ uti non repugnant ab initio ita fuiſſe; poſtea tamen praxin, in utraque Eccleſia, aliter ſe habuiſſe, ex ſuperioribus conſtare arbitror. Interea poſteriora illa, quæ de confesſione dicit Seldenus imò etiam priora, diſtinctiùs proponit Piſcator in Analyſi ad caput quintum Iacobi: *Præcipit quid agendum ſit ægrotis & pro ægrotis. Ægrotis duo præcipit, unum ut accerſant presbyteros Eccleſiæ, & petant pro ſua valetudine orari. Alterum, ut ſi conſcii ſibi ſint ſingularium peccatorum, quibus iſtum morbum ſibi videantur attraxiſſe, confiteantur illa presbyteris, vel etiam aliis fidelibus, pe-*

(a) *De Synedr. Vet. lib. II. cap. VII. p. 352. & 362.*

petantque orari pro illorum remissione. Presbyteris, itemque aliis fidelibus qui ægrotos invisunt, item duo præcipit: unum ut pro ægroto orent, alterum ut eum ungant oleo in nomine Domini, hoc est, invocato Domino, vel ex mandato domini, id quod restringendum est ad illos, qui à Domino tum acceperant donum miraculose sanandi, adhibita unctione tanquam sacramento seu sacro signo.

XVIII. Tempus, quo officium S. olei peragri solebat, sine dubio pro diversa Ecclesiarum consuetudine, vel diurnum vel nocturnum fuisse observamus. De priori non videtur esse dubitatio, posterius autem colligimus ex ordine, quem Goar (*a*) ex Card. Barberini MS. evchologio excerptum nobis dedit, cujus inscriptio non duntaxat monet, oleum sanctum pro ægrotis vespere faciendum esse, sed etiam ex cantione diversa apparet, dum officium matutinum modulum habet Θεὸς κύριος; nocturnum vero illo derelicto substituit lugubre Alleluja. Accedit quod in ipso ordine (*b*) παννυχὶς, quasi per totam noctem productum, dicatur.

XIX. In ecclesia Latina oleum infirmorum consecratur feria quinta hebdomadis magnæ, teste jam olim Alcuino libro de divinis officiis & Concilio Aquisgranensi altero sub Ludovico Imperatore c. 8. *Statutum etiam est, ut vel semel in anno, id est, in quinta feria, quæ est in cœna domini unctio S. olei, in quo salvatio infirmorum creditur, per omnes civitates ab Episcopis non negligatur, sicut nunc usque neglecta est, sed omni devotione juxta traditionem Apostolicam ac statuta decretalium, in quibus de eadem re præcipitur, peragatur.* Idem constat de po-

 steri-

(*a*) *in Evchol. p. 428. seqq.* (*b*) *Evchol. l. c. p. 429.*

sterioribus temporibus ex rationali ante citato : (a) *Hic etiam* (sunt verba Duranti) *quinta feria secundo loco tripartitum oleum* (nim. infirmorum, crismatum & sanctum seu catechumenorum) *consecratur : quoniam hodie agnus Dei ad victimam seu vesperam immolabatur : de cujus sangvine uterque postis & superliminare domorum, in quibus erat edendus liniebatur : ut hoc signo viso exterminator egypti domus sacri convivii preteriret intactas : in quo præfiguratum est, quod sine frontibus nostris unctione crismatis quasi sanguine Cristi, qui unctus interpretatus signum crucis imprimit : diabolus in domibus animarum nostrarum nullam nocendi habet Potestatem. Recte ergo qua die illud figurativum agebatur, significatum solenniter celebratur.* Licet autem Durantus applicationem saltim faciat ad oleum chrismatis, reliquorum tamen non minorem habet rationem, ceu subsequens illius tractatio monstrat. Inter tria autem olea primo loco consecratur oleum infirmorum, ob rationem quam Durantus l.c. adducit : *Primo ergo de oleo infirmorum dicendum est : nam illud prius est consecratum, quam crismatum & sanctum. Et est ratio, quia illius sacramentum prius fuit tempore quam crismatis vel sancti. Nam dominus discipulos suos docuit infirmos ungere, sicut in evangelio dicitur : oleo ungebant infirmos & curabantur : & Jacobus apostolus ait : Infirmatur quis &c. Oleum vero chrismatum & sanctum s. catechumenorum ab Ecclesia instituta sunt, & ideo consecratio olei infirmorum prior est tempore quam crismati, & etiam quam olei sancti : quia prior & major & venerabilior est doctrina apostolorum quam Papæ.*

XX. Modus, quo illud consecrationis officium fie-

(a) *lib. 6. p. m. 102,*

fiebat sequenti absolvitur ratione: vel coram lucerna, in Ecclesia, cui vinum fuit infusum, ob momentum supra adductum, post varias præmissas cantiones à primo sacerdotum oleo benedictio recitatur: (a) vel si in domo fit, proponitur in mensa vasculum, in quo vinum & oleum; (b) vel ut in nocturno illo officio legimus, (c) lavatur vitrea lampas, & capacissima lampas septem libras continens impletur oleo. Et sacerdotum unusquisque privatim sibi myxon cum ellychnio accendendo præparat: & vestes sacras sumit. Formula benedictionis olei in Evchologio l. c. ea est, quam nunc exhibemus: *Domine, qui in misericordia & miserationibus tuis animarum corporumque contritiones curas; ipse Domine, oleum hoc Sanctifica: ut in medelam omnis passionis carnalis & spiritualis inquinamenti, & omnis denique mali depulsionem ex illo unctis fiat: ut in eo glorificetur sanctissimum nomen tuum: Patris & filii & spiritus sancti: nunc & semper & in secula seculorum Amen.* Cæterum toto hoc ritu comprehenduntur septem precationes, septem pericopæ Evangelicæ & totidemque Apostolicæ, quas omnes recensere velle, prolixum nimis esset. (d) Quilibet e presbyteris unam pericopam Apostolicam, unamque Evangelicam, unam itidem precationem recitat. Si vero pauciores sint, quidam eorum dupla recitant: si vero unus tantum ad sit, legit ille omnia. (e)

XX. Consecratio hujus olei in Ecclesia latina

 qua

(a) *Evchol. l. c. p. 413.* (b) *Critop. l. c. p. 120.* (c) *Evchol. l. c. p. 428.* (d) *Consulatur ipsum officium S. olei sæpius hactenus citatum ex Evchologio p. 408. seqq.* (e) *Critopolus l. c p. 121.*

qua ratione peragi soleat, patere potest ex Rationali ante citato: (*a*) Hujus autem inquit, olei consecratio non habet tale principium, quale alia habent: quia non dicitur in eo. Dominus Vobiscum: nec oremus: nec sursum corda nec aliquid hujusmodi: nec etiam talem habet finem qualem in aliis consecrationibus dicimus: ut infra dicetur: sive per Dominum nostrum Jesum Christum &c. vel per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos: sed sic clauditur. In nomine Domini nostri Jesu Christi. Et est ratio: quia benedictio ipsius olei sancti non est officium per se; sed est embolismus præcedentis officii, quod apparet: quia componatur ante illud verbum canonis. Per quem hæc omnia Domine bona semper creas: statim benedictione ipsa finita subjungitur. Per quem hæc omnia &c. Et sic est embolismus, id est adjectio præcedentis officii, sive illius orationis: Nobis quoque peccatoribus: ubi pro pœnitentibus oratur. Est enim duplex embolismus, prout dictum est in quarta parte sub tit. de silentio post orationem Dominicam. Sed quare consecratio hujus olei canoni adjicitur: Respondeo. *Primo* ibi rationabiliter oleum morientium conficitur: ubi mors Domini consumatur: ut sicut mors Domini destruxit mortis auctorem: sic gratia quæ per unctionem morienti confertur: destruat peccata quæ sunt causa mortis. *Secundo* duo sunt de quibus in hoc officio agitur, sc. immolatio Christi: & immolatio Ecclesiæ. Immolatio Christi fuit in cruce, Ecclesiæ cùm peccatum moritur. De immolatione Christi fit mentio in introitu. Nos autem gloriari: & specialiter in canone: de immolatione Ecclesiæ fit mentio in Epistola ubi dicitur: Si nosmetipsos judicaremus non itaque judicare

(*a*) *lib.6.p.m.102, sq.*

caremur. Sunt etiam & alia duo ſc. infirmitas & medicina. Infirmitas ex peccatis ſæpe provenit: medicina de gratia DEI. De infirmitatibus ait Paulus in Epiſtola: Qui indigne manducat & bibit corpus & ſangvinem Domini, judicium ſibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini. Idcirco inter nos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi. De medicina dicit Jacobus: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ: & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus & ſi in peccatis ſit dimittuntur ei. Si igitur propterea infirmantur, quia manducant corpus Domini indigne: & gratia ſpiritus S. quam ſignificat hæc unctio eos ſolvat: merito conſecrationi corpus Domini adjicitur conſecratio hujus olei. Per paſſionem enim Domini cujus commemoratio fit in conſecratione corporis proſtratus eſt diabolus: & gratia Spiritus Sancti cujus ſignum eſt unctio diaboli arma, id eſt peccata quotidiana tolluntur. *Tertio* ideo conſecratio olei infirmorum conſecrationi corporis Chriſti adjungitur: quia noviſſima oratio conſecrationis corporis Chriſti ex voto pœnitentium fit. Congrue igitur ſub ea conſecratur oleum pro pœnitentibus ubi eorum ſacrificia Domino offeruntur. Conſequenter attendamus aliqua verba conſecrationis hujus olei infirmorum: dicitur enim ibi ſic. Emitte Spiritum tuum Paracletum in hanc pingvedinem olei. Nempe non ſine cauſa ponit ibi paracletum, quod patebit ſi triplicem olei efficaciam attendamus. Oleum ſanctum præcipit, videlicet catechumenorum præcipitur diabolo: ut recedat à catechumeno, qui adhuc reputatur mortuus,
 quo-

quousque non est baptizatus: oleum crismale jam viventes sanctificat: oleum infirmorum sauciatis medelam præstat: quia vero ægritudinem sequitur dolor unde in eadem consecratione olei infirmorum dicitur ad evacuandum omnes dolores & omnem ægritudinem: sequitur quoad dolorem consolatio: ideo recte ponitur ibi: Paracletum, quod interpretatum consolator. In mortuo autem qui dolorem non sentit, non sequitur consolatio: sc. nec sanus nec sanctificatus: quia in eo non est infirmitas ex qua dolor indiget consolatione. Circa oblationem ejusdem olei infirmorum notandum est quod in ordinario ita scribitur: Offeratur Pontifici oleum, quod offerunt populi antequam dicatur: Per quem hæc omnia semper Domine bona creas. Nempe hoc in Exod. XXVII. præfiguratum est, ubi dicitur Mosi, quod accipiat à populo oleum olivarum purissimum. Hucusque Durantus. Quæ omnia quoque invenies apud Amalarium de Ecclesiasticis officis. *(a)*

XXI. In ecclesia Laudunensi ampullæ olei infirmorum, olei chrismatis, & olei catechumenorum, à Sacrario, seu Sacristia, alias vestiario, ad partes altaris processionaliter sub baldachino deferuntur velis contectæ, & ab altari ad secretorium reportantur. Præcedunt cantores pluvialibus & baculis argenteis accincti: deinde duo thuriferarii cum thuribulis fumigantibus; tum alii duo pueri cantantes versus præscriptos: quos subinde sequuntur sub præfato baldachino tres acolythi, seu pueri chorales albis, & cappulis inducti, ampullas prædictas manibus deferentes velis ab humero pendentibus obvolutis. Ipsos ab utraque parte cingunt duo-

(a) *lib. 1. cap. 12.*

duodecim ſacerdotes, ſeu civisatenſium Paræciarum Rectores amictu, alba, & caſula circumamicti, qui ordine procedunt e præfato ſacrario per navim eccleſiæ; & circuitu facto per eam, ut ſit locus cantandis verſibus ſupradictis, accedunt per medium chorum ad presbyterium in ſolea circa regionem altaris, ubi ampullarum portatores, ipſas tradunt Archidiacono, qui eas oſtendens Pontifici in menſa ante eum deponit ad conſecrationem in conſpectu omnium celebrandam. Qua peracta revertuntur omnes in ſacriſtiam cum prædictis ampullis eodem ordine proceſſionis, quo prius ad Pontificem acceſſerunt, pueris pergentibus cantare verſus in Rituali eccleſiæ Laudunenſis ad hunc finem extratos. Hujus tam ſplendidi & inſtructi apparatus in his omnibus cauſa eſt, quod oblatio, actio ſacra ſit, & religioſa, qua res oblata ab hominibus, dominio, & prophano uſu ſecernitur, & divino cultui tota dicatur, *(a)* Habentur in iisdem obſervationibus etiam aliæ ceremoniæ, quæ olim in eccleſia Rothamagenſi ſeu Remenſi fuerunt frequentatae Feria V. de cœna Domini, quas ex veteri Pontificiali MS. quod ſervatur in ſacriſtia eccleſiæ Rothomagenſis, tranſcripſit Menardus in quo multa notatu digna continentur, quæ tamen non ſunt hodierni uſus. *(b)*

XXII. Oleum hoc, tam ſolenniter ultima ætate conſecratum, certis aliquibus ſubjectis applicatur; quos Marcus evangeliſta appellat ἀῤῥώσους & Jacobus apoſtolus per voces ἀσθενεῖ & κάμνοντα indicat. Conditionem horum ſubjectorum Seldenus (*c*) colligere vult ex τοῦ

ἀσθε-

(*a*) *vid. Ritus Eccleſiæ Laudinenſis Redivivos Antonii Bellotte- Pariſiis 1662. p. 791* (*b*) *Belotte in obſerv. loco citato p. 794. ſeqq.*

(*c*) *De Synedr. Vet. Ebr. lib II. cap. VII. §. 11. p. 349.*

ἀσθενεῖς tum natur., tum usu, ita ut tales intelligantur ægri, qui viribus deficiunt, quasi moribundi, etiam & animam cito expiraturi. Dein si ipse locus inspiciatur, non qualiscunque ægrotus illi supponendus venit, quia tum ægri generaliter sic dicti, tum sani in eis, qui κακοπαθοῦσι, & εὐθυμοῦσι, jam comprehenduntur, ergo ἀσθένουσιν παραπλήσιον θανάτῳ *pro infirmitatis usque ad mortem.* (a) Accedit porro ex epistolis Paulinis oppositio, idem innuens, dum δύναμις, *vis, robur, potestas*, τῇ ἀσθενείᾳ *impotentiæ, imbecillitati*, etiam summæ opponitur. Denique tales ibi innui & à veteribus intelligi, quos Ebræi גוססין vocarunt, nec simpliciter ægros, qui illis חולין vocitati, confirmat ex eo, quod extremæ unctionis sacramentum sic dictum, & maxime loco hoc fundatum, talibus aut qui statui hujusmodi, utpote in articulo mortis, proximant, nec aliis ægris aut infirmis in occidentalia adhiberi soleat; unde Rituale Romanum de sacramento extremæ unctionis: *Debet hoc sacramentum infirmis præberi, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminire videatur, & eis qui præ senio deficiunt & in diem videntur morituri.* Firmatque suam sententiam ex simili interpretatione Pontificiorum. De hinc transit a Jacobo ad Marcum atque ut apud illum ἀσθενεῖς, ita apud hunc ἀῤῥώστους eodem sensu pro ægris usurpat: id est perquam imbecillibus & viribus quasi omnimodis carentibus, quosque Marcus πολλοὺς dixit, eos nempe qui, cum medicinam aliam sibi utilem neutiquam reperirent, de saluta restituenda desperantes, velut miraculo

(a) *Philipp. II. 27. 1. Cor. XV, 43. Rom. V. 6. IIX. 3. Ebr. VII. 16. 18.*

culo sanarentur, ac quasi, in vitam reduces, fierent. Et ut synonyma ἀσθένεια & ἀῤῥωςία passim habentur, uti & ἀῤῥώςημα, quemadmodum in horum oppositis sunt ἀσθένεια & εὐρωςία pro virium integritate, robore corporis infracto, sanitate, ut apud Hesychium, Suidam & alios. Tandem eo delabitur, ut τὸν κάμνοντα dicat ipsum mortuum, vel pro mortuo, cum apud probatissimos Græcos præter alias significationes, hac ratione accipiatur. Sic Suidas in κάμνειν: λέγεται δὲ ἐπὶ τῶν ἀποθανόντων: *dicitur verò etiam de ipsis mortuis*; & clarius Etymologicum Magnum, καὶ, καμνόντας ἀνθρώπους, ἀντὶ τοὺς τελευτήσαντας ἀποθανόντας & *homines* καμνόντας *pro eis, qui jam è vita discesserant & mortuis.* Similia quoque invenies apud Joh. Lorinum in comment. in locum Jacobi. (a) Etsi autem hæ Seldeni cogitationes circa τοὺς ἀσθενεῖς & ἀῤῥώςους, instituto nostro non repugnent, cum omnino concedamus, tales infirmos ex numero illorum fuisse; sed an præcise ad hos restringi debeat, & non æque ad alios quavis infirmitate laborantes, nondum video, cum præcipue nec hujus vocis natura, nec usus me penitus convincere queant. Nam ἀσθενής dicit quidem eum, qui sine viribus, robore vel potentia est. Sed id vel absolute & simpliciter, vel respective in comparatione ad aliud vel ad meliorem statum accipi quoque potest. Sic dicitur γῆρας ἀσθενὴς & τεῖχος ἀσθενὲς, non quasi murus omni destituatur robore ad sustentandum quodcunque onus impositum; sed quod non par ac sufficiens sit habito respectu ad illud, cui nunc substernitur; item non quasi senectus semper omnibus exhausta sit viribus, verum quod in compara-

E tione

(a) p. 282.

tione cum adolescentia tantum non valeat, quemadmodum Xenophon loquitur: γῆρας ἀσθενέστερον τῆς νεότητος γινόμενον *senectutem imbecilliorem factam quam adolescentia fuisset.* Confirmor quoque ex usu substantivi ἀσθενείας, dum pro quovis morbo accipitur: Sic Demosthenes: ὡς γὰρ ἀνέστη τάχιστα ἐξ ἐκείνης τῆς ἀσθενείας, καὶ ἀνέλαβεν αὑτὸν, καὶ ἔσχεν ἐπιεικῶς τὸ σῶμα *simul ac convalescere ab infirmitate seseque recreare contigit, & corpore omni valente*: & apud Platonem in Epist: ἐστι περὶ ἀσθένειαν τὴν τῆς στραγγουρίας: *imbecillis est ex urinæ stillicidio.* E contra quando Græci defectum omnium virium indicare volunt, potius utuntur verbo ἐξασθενεῖν, prout Plutarchus de defectu oraculorum ἐξασθενεῖ καὶ γίνεται ἄτονον. Similiter dici poterit de voce ἄῤῥωστος, quæ plerumque accipitur pro eo, qui est infirma valetudine, seu extrema immineant, sive non. Ρῶσις unde vox illa deducitur, sonat corroborationem, robur &c. ab Hesychio exponitur ὑγεία id est sanitas, valetudo. Erit ergo ἄῤῥωστος in genere is, qui caret sanitate, & est omnis ille, qui quovis modo cum infirma valetudine conflictatur. Neque subtilitatem illam sectamur, quam Ammonius urget, dum vult ἀῤῥωστῶν eo differre ab ἄῤῥωστος, quod ἄῤῥωστος quidem sit ὁ νοσῶν id est, qui ægrotat, at ἀῤῥωστῶν sit, ὁ ἀδυνατῶν ἐπιτελεῖν τὰ κατὰ τὰς ὀρέξεις; cum Stephanus (*a*) in Lexico hæc, inter alia non pauca ejusdem autoris, magis subtilia seu curiosa, quam vera esse judicaverit. Dicerem quoque quædam de voce κάμνοντα, quæ nihil aliud quàm fatigatum, male se habentem, ægrotantem ex usu significat, nisi ipse Seldenus (*b*) monuisset, Scholiastem Aristophanis interpretatum fuisse κάμνειν ægritudine laborare & postea demum subjecisse, etiam

(*a*) *Tom.III.p.733.* (*b*) *l.c.p.365.*

etiam de mortuis dici. Ex his, si jam rationem ducamus, subjectum cui oleum illud consecratum applicari potest, erit omnis is qui ægrotat, atque desideraverit, ut oleum illud cum precibus adhibeatur, sive dein auxilia humana cessaverint sive adæquata adhuc fuerint. Hæc nostra sententia firmatur ex Matthæo (*a*) & Luca (*b*) ubi Christus potestatem dedit, discipulis θεραπεύειν πᾶσαν νόσον καὶ μαλακίαν *omnem languorem & omnem infirmitatem.*

XXIII. Dum applicatur ægrotis hoc oleum, præter preces, quas semper adhibitas esse credimus, Augustinus (*c*) vel potius alius suis commendaverat auditoribus, ut præmissa eucharistia unctionem demum admitterent. *Quoties aliqua,* scribens, *infirmitas supervenerit, corpus & sangvinem Christi, illi qui ægrotat, accipiat, ac inde corpusculum suum ungat, ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur quis in vobis &c. Videte fratres, quia qui infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, & corporis sanitatem recipere & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Cum ergo duplicia bona possint in Ecclesia inveniri: quare per incantatores & aruspices & divinos, vel sortilegos multiplicia sibi mala miseri homines conantur inferre?* Hodie autem in Ecclesia Græca, eo consilio neglecto, aliæ ceremoniæ observantur, si tum Evchologium tum recentiores alios sequamur. Nimirum post orationem recitatam sacerdos accipit oleum sanctum, & illum, qui oleum desiderat, ungit.

(*a*) *cap. X.1.* (*b*) *cap. IX.1.seq.* (*c*) *de temp.serm. 215.vid.Dallæum l.c.lib.2.cap.12. ubi non Augustinum sed alium hujus sermonis autorem ostendit, nihilominus autem spectare ad curationem quorumvis infirmorum.*

ungit. Quas autem parces Græci ungant, Evehologium non exprimit. Frontem tamen, mentum, genas & manus, pectus & pedes iunungi, ex aliis constat autoribus. *Ungit sacerdos*, inquit Simeon, *in crucis modum ægri frontem, ob contentas in ea cogitationes: faciem quoque inungit propter sensuum organa; & postremo manus: à pravis cogitationibus, & operibus eum expians, sanctoque oleo muniens illum & perfecte sanctificans.* De pectore, unde exeunt pravæ cogitationes & infandæ cupidines, & de pedibus, ad iniquitatem attingendam velocibus, mentionem non egit Thessalonicensis; illorum tamen unctionem non omitti hoc tempore affirmat Critopulus: (a) *imo ellychnio tincto in oleo, ægrotum ungit in fronte, in pectore, in manibus & pedibus, ubique figura crucis.* Ex eo forte, quia tum in consecratione, tum in applicatione figura crucis toties adhibetur, factum dici posset, quod oleum S. crucis dictum fuerit, cujus supra jam mentionem fecimus. Has inter ceremonias sequens oratio dicitur: *Pater sancte, animarum & corporum medice, qui filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum omnem morbum curantem & ex morte nos liberantem misisti: sana quoque servum tuum N. à detinente illum corporis infirmitate & vivifica illum per christi tui gratiam: intercessionibus super omnes sanctæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper virginis Mariæ, protectionibus venerandarum supercœlestium virtutum incorporearum, virtute pretiosæ & vivificæ crucis, honorandi, gloriosi prophetæ præcursoris & Baptistæ Iohannis, sanctorum gloriosorum & toto orbe celebrium Apostolorum, sanctorum, gloriosorum & victoriis cla-*

(a) l.c.p.120. addatur Arcadius de concordia Ecclesiæ Or. & Occ. Lib.V.cap.7.

clarorum Martyrum & deiferorum patrum nostrorum, sanctorum medicorum mercede non conductorum, Cosmæ & Damiani, Cyri & Joanns Pataleonis & Hermolai, Sampsonis & Diomedis, Photii & Aniceti, sanctorum & justorum Dei parentum Joachim & Annæ, & omnium sanctorum. Amen. Quia tu es fons sanitatum, Christe Deus noster, & tibi gloriam referimus: Patri & filio & sancto spiritui: nunc & semper & in secula seculorum. (a) Breviorem orationem habet Critopulus. (b) *Sancte Pater, qui in mundum misisti filium tuum unigenitum, dominum nostrum & Deum Iesum Christum, ut morbum omnem curet, atque omni medeatur languori, etiam nunc ipse in nomine ungeniti filii tui, gratiæque & adventu sanctissimi spiritus tui sana servum tuum N. liberans eum à morbo quo laborat, & relevans ipsum molesto lecto, ut recte valens celebret te æternum Patrem & coæternum filium tuum una cum spiritu tuo coæterno, deum unum in tribus hypostasibus & una essentia, cui gloria & honor & potentia sempiterna, nunc & semper atque in secula seculorum. Amen.* Hæc oratio recitatur ab unoquoque sacerdotum: si vero unus tantum adfuerit; septies ungit ægrotantem, septies superiorem precationem subjiciens. Olim brevissimæ erant orationes, dum saltim oleo ægrotis adplicato dicebant: *In Nomine Jesu Christi e.g. aperiantur loculi tui &c.* ut ex supra adductis exemplis videre est, quibus adhuc aliud adjicimus. Narrat Eustathius presbyter in vita Eutychii Patriarchæ Cpolitani, solitum illum Patriarcham, dum ægrotantes, qui ad se accedebant, oleo sancto ungens curaret,

 dice-

(a) *habetur hæc oratio in Euchologio p.417. una cum notis Goaris.* (b) *l.c.p. 120.*

dicere: *in nomine Domini nostri JEsu Christi, quemadmodum inquit scriptor historiæ & divus Jacobus præcepit.*

XXIV. Ad ductum Evchologii dehinc post varias orationes, in medium sacerdotum ingreditur, qui oleum sanctum suscipit, & acceptum sanctum evangelium ponit super caput ejus, sacerdotum præcipuus & manus illi sacerdotes reliqui imponunt; & dehinc ille denuo orationem elata voce pronuntiat. Quo ipso respicitur ad antiquum morem evaugelium ægrotis imponendi, de quo Dn. Præses in dissertatione de cultu Evangeliorum, & Alphonsus Tostatus quæst. XXXIV. præfationis in Matthæum, qui ejusmodi ritus exemplum in Elisæo, baculum ad Sunamitidos filium, à mortuis exsuscitandum, mittente contemplatur; Deumque obstantium fidem affirmandam seu approbandam, vel reverentiam cultumque erga verba sua scripta exhibitum, miracula plura nonnunquam in infirmis sanandis patrasse asseverat. Aliam rationem ejusdem instituti deducit Goar ex orationis sequentis contextu. Ut Christus videlcet Dei verbum, in evangelio miranda ejus opera enarrante, manu sua omnipotenti extensa obsecrautis infirmi peccata deleat, veniamque coucedat, quæ impositione manuum, tanquam reconciliationis signo solet in Ecclesia figurari. In officio nocturno, cujus supra mentionem facimus, unusquisque infirmi ungit frontem, & aures & singuli ellychnium, ut præmissum est, extingvunt. Posthæc totam domum ungunt signo crucis inter ungendum expresso, & canunt: *qui habitat in adjutorio altissimi.*

XXV. Hæc tamen hactenus deducta respiciunt solennem in ecclesia Græca infirmorum unctionem,

quæ

quæ per presbyteros fieri debebat. Quemadmodum etiam ex concilio Cabilonensi idem patet, nec non ex capitularium lib. VI. (a) *Ut omnes presbyteri oleum infirmorum ab Episcopo expetant, secumque habeant, & moneant fideles infirmos illud requirere, ut eodem oleo peruncti gratia Dei sanentur, quia presbyteris fusa oratio fidei salvabit nfirmos.* In ecclesia Romana autem, si Episcopus propter alias occupationes & potest & vult infirmos ungere, e i concessum nst. Sic enim Innocentius loco citato: *Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est: Nam idcirco presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes langvidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem à se visitandum, & benedicere & ungere chrismate sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere.* Repetuntur eadem verba in concilio Wormatiensi can. 72. & ab Alcuino lib. de divinis officiis cap. de infirmis. In universum autem constat, solennem illam unctionem non excludere illam, quam ipsi ægroti vel alii peregerunt, quibus presbyteri oleum dederunt, quod iterum ex more priorum temporum colligitur.

XXVI. Quo successu tandem hoc oleum fuerit antiquitus applicatum, testatur Marcus, dum unctioni addit sanationem ægrorum & Jacobus promittit laboranti seu male habenti salutem. Nec abludit sequentium temporum praxis. Sed quibus viribus adscribendus erit hic effectus, an naturalibus an supernaturalibus? Fatendum quidem est, habere oleum per se δύναμιν θεραπευτικὴν, ut enim alias dicitur, oleum esse

secun-

(a) *c. 179. p. m. 953. Tom. I.*

secundum magistrum in rotatis fistulis & aliis machinis, sive quibus trahimus, seu quibus loco dimovemus; sic etiam in machina humani corporis plurimum ad motus varios facilitandos conferre potest. Ἄυταρκες μὲν οὖν τὸ ἔλαιον αὐτὸ, λιπᾶναί τε τὴν ἐπιφάνειαν, καὶ ἀνεῖναι τὸ νευρῶδες, καὶ τινὰ τοῦ σώματος, ὀσμὴν ἀναστεῖλαι βαρυτέραν, εἰ καὶ πρὸς τοῦτο τοῦ ἐλαίου δεοίμεθα. *Sufficit itaque oleum & ad superficiem cutis pingue faciendam, nervosque relaxandos, & ad corporis graviorem reprimendam odorem, si etiam oleo adhuc opus habeamus*, inquit Clemens Alexandrinus. (a) Et forsan ejusdem verba, quæ habet de ungvento (quod supra distinximus ab oleo) quodammodo huc referri possunt: ὥσπερ φαρμάκῳ καὶ βοηθήματι χρηστέον τῷ μύρῳ. Πρός τε τὸ ἐπεγεῖραι τὴν ἀπαυδῶσαν δύναμιν, καὶ πρὸς τοὺς κατάῤῥους, καὶ πρὸς τὰς καταψύξεις δυσαρέστησίν τε. καθὰ καὶ ὁ κωμικὸς φησίπου. Μύροις ὑπαλείφεται τὰς χεῖρας. ὑγείας μέρος μέγιστον, ὀσμὰς ἐγκεφάλων χρηστὰς ποιεῖν. *Unguento tanquam medicamento & auxilio utendum est, ut ad vires langventes excitandas & ad catarrhos, & ad refrigerationes, & ad fastidium. Quemadmodum alicubi quoque dicit Comicus: Ungventis manus ungitur, quæ est pars sanitatis maxima, ut cerebro bonos odores faciat.* Autor præterea est Athenæus (b) priscos Græcos adeo fuisse ungventorum studiosos, ut exploratum haberent, ecquod unguentum cuique membro humani corporis esset accommodatum. De oleo tamen mais solliciti, certum putamus oleo competere virtutem emolliendi & relaxandi, at vero cum vino permistum si fuerit, actio illius contemperatur & penetrandi vis adaugetur, qua carnem à putre-

(a) *Pædagog. Lib. II. p. 178.* (b) *Lib. XV. cap. 12. p. m. 689. edit. Casaub. Lugd. 1612.*

tredine præservat & vindicat & partes male affectas corroborat; quo ipse fieri putat Hieronymus Bardi Genuensis Philosophus, medicus ac Theologus *(a)* ut simul rite & recte junctis vino & oleo, mirandæ virtutis Balsami christi rationem sortiantur. Judæi dicunt, & quidem ut Joh. Ligthfoot vult in horis hebraicis ad Marci locum, *(b)* vere unctionem talem fuisse medicinalem, quamvis non semper obtineret. Agnoscit tamen unctionem Apostolorum nunquam non obtinuisse. Sub finem iterum pergit: *Detur, unctionem talem fuisse medicinalem, quod nequaquam potest negari, & tum nihil obscuri est in verbis Iacobi: advocentur presbyteri ecclesiæ, & ab iis, vel iis præsentibus, ungatur ægrotus, & conjungantur cum ordinaria ista medicina, eorum preces.*

XXVII. Verum enim vero etsi lubentes concedamus, magnam esse & olei & vini virtutem, tamen effectus illos Apostolorum & presbyterorum in primitiva Ecclesia omnes fuisse naturales nobis persuadere non valemus. Nam idem ille Christus, *(c)* qui Apostolis ἐξουσίαν dederat τῶν πνευμάτων τῶν ἀκαθάρτων, potestatem quoque iisdem concessit ægros sanandi; id quod patet ex loco parallelo, *(d)* quo Christus discipulis suis potestatem dedit spirituum immundorum, ut ejicerent eos καὶ θεραπεύειν πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν: *Et curarent omnem languorem & omnem infirmitatem*: & iterum jussit: *(e)* ἀσθενοῦντας θεραπεύετε, λεπροὺς καθαρίζετε,

F ve-

(a) *in medico Politico Catholico seu medicinæ sacra tum cognoscendæ tum faciundæ Idea cap. 10. corollar. 8. p. 233. ubi m. monet, quod de eorum operatione fusius egerit in Iatrochymurgiæ lib. 3. sect. 9. art. 1. & 3.* (b) *p. 617.* (c) *Marci VI. 7.* (d) *Matth. X. 1. Luc. IX. 1. seq.* (e) *Matth. l. c. vers. 8. Luc. X. 9.*

νεκρὺς ἐγείρετε, δαιμόνια ἐκβάλλετε, *infirmos curate, leprosos mundate, mortuos suscitate, dæmones ejicite.* Nec eventus defuit, (*a*) LXX. enim reversi cum gaudio dixerunt: *Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*, maximum sc. proferentes, de eo autem, quod minus videbatur, non dubitantes. Accedit alter locus Iacobi supra citatus, qui satis perspicue monstrat, quod post peractas preces & unctionem cum oleo in nomine domini, promittatur laboranti salus per fidei orationem & erectionem à Domino. Non ergo viribus olei vel olei vino permixti adscribi debet hic effectus, sed ab altiori principio deduci. Et qui quæso posset oleum morbis toti genere diversis ex natura sua satisfacere, cum gaudeat virtute emolliendi & relaxandi, quæ morbis ad strictionem desiderantibus non respondebit. Id quod author libri de unctione chrismatis (qui non est Cæcilius Cyprianus, sed Arnoldus Abbas Bonævallis O.B. in diœcesi Carnotena, à qua Carnotensis dictus, & circa annum MCLXII. vixit, (*b*) observavit, non minori jure oleo infirmorum adplicandum. *Nihil hoc oleum commune habet cum liquoribus, qui ex quorundam fructuum pinguedine exprimuntur, nec vis ejus est ex crassitudine penetrativa, quæ secundum quasdam naturales rationes emollit & temperat spissamenta, quæ solet intrinsecus astringere siccitas aliqua vel corruptio conglobare. Non hæc medendis corporibus est unctio instituta: quia sanctificatis elementis jam non propria natura præbet effectum, sed virtus divina potentius operatur, sed adest veritas signo & spiritus sacramento &c.* Nec de

(*a*) *Luc. X. 17.* (*b*) *qui habetur inter opuscula vulgo adscripta Cypriano edit. Bremens. p. 47.*

de nihilo eſt, quod ex recentioribus Græcis ſæpe laudatus Critopulus(*a*) monet. Non omnes qui hominibus accidunt morbi ex intemperie atque inæqualitate elementorum, è quibus corpora compoſita ſunt, oriri ſolent, ſed etiam ex peccatis, tanquam pœna divinitus ſuperveniens electis a recto aberrantibus in correctionem & caſtigationem æ reliquæ vitæ. Probaturus autem hanc theſin ſcribit ſequentem in modum. *Cæterum multos etiam morbos propter peccata obvenire, ſufficienter à Domino didicemus, dicente ad paralyticum:* Ecce ſanus factus es: ne poſthac pecces, ne quid deterius tibi contingat. *Manifeſtum itaque eſt, paralyſin propter peccata accidiſſe paralytico: proinde & multis aliis. Recte igitur Eccleſia Deum miſericordem orat, ut ægrotanti peccata illa remittat, quibus præſenti morbo, tanquam virgæ paternæ, obnoxius factus ſit. Hoc enim vult illud:* Quamvis peccata commiſerit, remittentur ipſi. *Non dubitat hic Apoſtolus de eo num quis chriſtianorum peccator exiſtat: novit enim o*mnes nos in iniquitate conceptos atque in peccatis natos eſſe; *item illud:* Si dixerimus: peccatum non habemus, mentimur. *Itaque non ſimpliciter ſi peccator eſt, ſed etiamſi propter peccata morbus ei accidat, una cum pœna ei remittetur.*

XXVII. Agnoſcit Seldenus nobiſcum hunc effectum, alium tamen eumque majorem Iacobi verbis adhuc indicari conjectatur. (*b*) Nimirum forſan illud de Presbyteris accerſendis, ſpectavit ad moribundo ſeu pro moriente habito uſitatum officium pollincturæ adhibendum, illud quod in inungendo cum

 ora-

(*a*) *l.c.p.118.ſeqq.* (*b*) *l.c p.363.ſeq*

orationibus ſub vitæ ejus exitum, ſeu verum ſeu creditum habebatur: nec imperative ſumendum forte προσκαλεσάσθω accerſat, ſed admiſſive tantum, ſeu ut concedentis dictum. Etiamſi adeo ἀσθενής ſeu imbecillis fuerit, ut presbyteros ad ſe accerſendos voluerit, ut ſecum nimirum orarent & mortuum ex more pollincerent, adeoque etiam pro jam mortuo ſeu oculos claudendo ſeu aliter illum inungerent, nihilominus ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως precatio fidei σώσει τὸν κάμνοντα, quod bene reddi poſſet, *ſalvum faciet* ipſum etiam *mortuum* pro mortuo ſcil. habitum, ſeu etiamſi de exitu animæ ejus neutiquam dubitaretur. Uſum hunc imperativi illuſtrat locus Iohannis: *(a) ſolvite deſtruite*, & poſtea urget uſum vocis κάμνοντα apud quoſdam authores claſſicos. Provocat dein ad Prophetas veteres, & chriſtianos primitivos aliosque, mortuos aliquot ſeu κάμνοντας; ſaltem eos qui videntur mortui, in vitam & ſanitatem, oratione efficaci etiam & aliter reſtituiſſe: quemadmodum & à S. Petro Tabitham reſuſcitatam, ut & à S. Paulo Eutychum id eſt à Domino per eos reſuſcitatos legimus. Et ſenſui huic favere arbitratur illud S. Jacobi καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν (ſeu τὸν κάμνοντα) ὁ κύριος, *reſuſcitabit eum Dominus*. Eadem enim vox ἐγείρω expergefacere & ejusmodi alia per ſe ſignificans, non raro in novo fœdere habetur pro *mortuum reſuſcitare, excitare*, in vitam reducem facere. Simul etiam cum infirmorum ſanationis dono illo ſingulari, quo diſcipulos ſuos Chriſtus dignatus eſt, conjungitur ab eo νεκροὺς ἐγείρετε *mortuos excitate*; & poſtmodum de reſurrectione mortuorum, ſeu pro mortuis habitorum, uſurpatur in ſenſu quidem velut

(a) Cap. II. 19.

velut scripturæ proprio. Et Hesychio ἔγερσις, ἀνάστασις resurrectionem à mortuis aut quasi denotat. Ita oratione hac fidei etiam mortuus aut pro mortuo per virium defectum habitus, resuscitandus. Et locutionis commutatio ejusmodi, ut quem ἀσθενοῦντα adeo pauculis ante verbis vocasset Jacobus, eundem jam (quasi idem undiquaque ipsum nollet) τὸν κάμνοντα nuncupat, innuere videtur hoc aliud & gravius quoddam significare, maxime cum articulus adjiciatur, ipsum etiam mortuum aut pro mortuo & pollincendo habitum.

XXIX. Hæc ferè sunt Seldeni momenta, quæ pro nova tum versione tum sensu loci Jacobæi in medium adduxit: sed bene est, quod ipse toti tractationi hanc clausulam imponat: *Nihil heic definimus: ut perspicacius, quæ attulimus, considerentur, tantum proponimus, ingeniosioribus ea libenter submittentes.* Præterea pollincturam sive inunctionem mortuorum in sepulturam, familiarem fuisse tam Judæis, quàm Romanis Græcisque novimus, sed an ea applicari queat ad loca Marci & Jacobi non videmus. Quæ enim a Seldeno fuerunt adducta, sæpe meris nituntur conjecturis, quas suo relinquimus pretio: vel ab exemplo aliorum possibilitatem inferunt, quæ tamen actualitatem non statim ponit: vel procedunt ab acceptione vocis, phraseos vel formulæ in alio loco adhibitæ, quam vel contextus vel ipsa substrata materia exigit, ad præsentem locum, ubi a nullo illorum ad talem vocis significationem assumendam cogimur. De verbo κάμνειν supra iam quædam monuimus: verbum autem ἐγείρω etsi multis in locis Novi Testamenti denotet excitare, suscitare, resuscitare a mortuis, adeo ut græcæ literaturæ cultores fa-

teantur illam esse frequentissimam significationem in Novo Testamento, suadente nimirum & contextu & materia substrata; nihilominus non deest locus, ubi ἐγείρειν significat corpus ex morbo decumbens, sanitate restituta, erigere. (a) Christus enim προσελθὼν ἤγειρεν αὐτὴν *accedens erexit* eam, nempe socrum Petri, id est interprete Theophylacto, ἰᾶτο αὐτὴν *sanabat eam*. Atque sic etiam in Jacobi loco ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος eriget infirmum illum Dominus sanitate restituta. Neque juvabit illam sententiam, quod dono sanationis Apostolis à Christo concessis jungatur νεκροὺς ἐγείρετε, cùm ibi diversa ponantur subjecta cum diversis quoque prædicatis, heic autem idem manet subjectum, ut supra fuit ostensum. Accedit consensus multorum Patrum & interpretum in Ecclesia clarissimorum, de restitutione non vitæ sed sanitatis hoc loco intelligenda.

XXX. Quamdiu denique hæc virtus miraculosa in Ecclesia duraverit, determinari à nobis non potest. In ea plantanda promissio a Christo data fuit, de miraculis verbum prædicatum insequentibus, cui exasse quoque respondit horum uberrimus proventus. Postquam autem Ecclesia plantata jamdudum est, de voluntate Dei amplius certi esse non possumus, deficiente præcipuè promissionis verbo. Quo referri debet Augustini effatum: *Vt quisquis adhuc prodigia quærit, ad hoc ut credat, ipse magnum sit prodigium, cum toto mundo credente ipse non credat.* Interea tamen tantam Dei nostri potentiam esse scîmus, ut nullis temporum vel locorum terminis includi illa valeat.

XXXI. Etsi autem hæc ita deducta, de curatione mor-

(a) *Marci I:31.*

morborum per oleum sanctum, occasione locorum Nov. Test. illa ratione sese habeant, consentiente multorum seculorum praxi, & præcipuis Ecclesiæ Romanæ Luminibus; nihilominus alii rem omnem in utroque loco non tam ad curationem corporis quam animæ spectare arbitrantur, remissionem nimirum peccatorum, ut exinde extremam unctionem eo melius stabilire queant. Asserit hoc Maldonatus (*a*) circa locum Marci, cui directe contradicit, utpote in quo legimus ægrotos ab Apostolis oleo fuisse inunctos & sanatos. Ne vero rem frustra dixisse videatur, sequentes adducit rationes: oleum non esse medicamentum ad curanda genera omnia morborum: Apostolos, siquidem voluissent miraculo curationis homines convetere ad Evangelium, non curaturos fuisse oleo; quia omnes existimassent naturaliter ægrotos fuisse sanatos: nihil opus fuisse ejusmodi signo, cùm secuta statim sanitas fidem miraculo faceret, quam abrogare potuisset oleum adhibitum, & alias non solemus uti signis ad ea, quæ oculis cernuntur. Verum huic primo opponimus rationes Bellarmini supra adductas pro loco Marti, & curatione morbi corporalis, cui addimus Jansenium, Sorum, Svarezium, Gonetium, Amicum, Castropalaum & Augustinum Abbatem Ensidelensem. (*b*) Dein ex supra dictis constare potest, oleum nec omnibus respondere morbis, nec hos in instanti tollere, sed adhibitum fuisse tanquam symbolum curationis, supernaturali Christi virtute præstandæ. Et qua tandem veritate dici potest à Maldonato quod ad

(*a*) *T. II. de sacr. q. 1. de extr. unct. p. 204.* (*b*) *Tom. V. Theol. Scholast. quæst. XI, art. I. controv. 3. p. 201.*

ad ea quæ oculis cernuntur non opus habeamus signis, cum praxis Prophetarum in Vet. Testamento, Christi autem & Apostolorum in Novo Testamento multa huic asserto contraria exempla nobis suppeditet. Prolixius hæc discussit Jo. Dallæus. *(a)*

XXXII. Circe Jacobi locum plures sunt occupati, arbitrantes, si in aliquo certe hoc loco fundari unctionem, quæ sanaret animum virtute sacramentali. Multus est in eo Bellarminus, *(b)* dum ex singulis Jacobæi loci vocibus id ostendere laborat. I. namque *infirmatur*, inquit, *quis in vobis:* at si de miraculis ageret, generalius loqueretur, & non duntaxat decumbentibus, sed etiam iis qui non decumbunt consuleret. II. *Inducat presbyteros.* At si de miraculo ageret, diceret potius, inducat Prophetas, aut alios, qui donum habent curationum, non soli aut omnes presbyteri etiam tunc habebant donum curandi. Cui rationi subjungit, quod non probabile sit Apostolum jussisse fidelibus, ut miracula quærerent, signa enim infidelium sunt non fidelium. *III. Orent super eum ungentes eum oleo.* At si de miraculis ageretur, non præscriberet Iacobus materiam, cum certæ alicui rei virtus miraculorum alligari non possit. *IV. Et oratio fidei salvabit infirmum & allevabit eum Dominus.* Hæc sane absoluta promissio est, proinde referri non potest præcipue ad corporalem sanitatem, quæ non semper obtinebatur; ergo vel falsa est absoluta illa promissio Jacobi, quod fieri non potest, aut quod verissimum est ad animam præcipue & absolute referenda est. Vult *(c)* id quoque ex ipsa

(a) De extrema unctione cap. 5 p. 7 seqq. (b) De extrema unct. cap. 3. p. m. 185 seqq. (c) p. m. 187.

ipſa vi vocis confirmare, cum allevare per methaphoram Scripturæ S. familiarem, ſignificet etiam pellere mœrorem, triſtitiam, negligentiam, ſoporem & deſidiam animi, quæ propinquos morti valde deprimere & gravare ſolet, ut non facile poſſint mentem ad DEUM attollere. V. *Etſi in peccatis fuerit, dimittentur ei.* (a) Hæc vero particula tam expreſſe ad animam pertinet, ut non ſit locus tergiverſationi. VI. Omnia alia quæ habentur in epiſtola, ſeu ante hunc locum, ſive poſtea, non ad eos ſolos pertinent, qui tunc vivebant, ſed etiam ad nos, qui doſtea futuri eramus, ergo etiam illa, quæ eodem tenore verborum in medio poſita ſunt. Sed nec ſingulæ poſitæ voces, nec ſimul ſumptæ Bellarminum ullo modo juvare poſſunt: Nam, ut nunc nihil dicamus, quod Bellarmino Cajetanum opponere poſſimus, I. ſupra jam fuit oſtenſum, quod *τὸ infirmari* non tantum accipiatur de graviter decumbentibus, ſed quoque de quibusvis aliis quovis modo laborantibus, non repugnante quoque hiſtoria curationum ſuperius adducta; ſatis ergo generaliter loquitur Apoſtolus. II. Nomen Presbyterorum Jacobi tempore adhuc late patebat & ſeniores omnis ordinis & dignitatis denotabat: quemadmodum ipſe Bellarminus l. c. ſcribit: nomen presbyteri, ſeu ſenioris in Novo Teſtamento fere ubique accipi pro miniſtro Eccleſiaſtico. Cum ergo his curationum donum fuerit conceſſum, licet non omnibus, bene dicit Jacobus indefinire: *accerſat presbyteros.* Et quod Bellarminus de Prophetis dicit, plane non quadrat, quemadmodum nec alterum, de non quærendis miraculis. Cum ægroti non jubeantur quærere miracula, ut illis permoti crederent,

(a) *Conf. etiam Lorinum l. c. p. 788.*

derent, ſed ut illis à DEO oblatis cum gratiarum actione uterentur. III. Adhibere in miraculoſa ſanatione certam materiam, in hiſtoria miraculorum abſonum non est. Interim lubentes fatemur virtutem miraculorum ſæpe etiam ſe exeruiſſe ſine materia. Quemadmodum Apoſtoli multos curarunt ſine oleo, & tamen multos pariter ſanarunt mediante oleo. Ut adeo Apoſtolus hoc loco loquatur de eo, quod uſitatum, ſolenne ac frequens in eccleſia fuerat. Præterea admodum ambigue dicitur, certæ alicui rei virtutem miraculorum alligari non poſſe: vel enim in ordine ad effectus id intelligitur, ita ut ſenſus ſit, per certam aliquam rem virtus miraculorum ad plures diverſosque effectus, ſe exſerere non poteſt; atque ſic erit hæc propoſitio contra veritatem hiſtoriæ miraculorum: vel excluſive intelligitur, ita ut ſenſus ſit: virtus miraculorum alligari non poteſt certæ alicui rei, ut iſta ſe non valeat amplius exſerere per aliam, tunc commodus hujus propoſitionis ſenſus admittitur. IV. κατ' ἄνθρωπον dicimus, nec animæ ſanitatem per illam unctionem ſemper fuiſſe obtentam, ſi præcipue ex conſuetudine adhibita fuerit. Dein presbyterorum hoc erat donum, non ut miracula quoties vellent & in quos vellent nullo diſcrimine ac pro ſua libidine ederent, ſed quoties id ad gloriam DEI & hominum ſalutem utile erat. Id autem dijudicabat idem ille Spiritus, qui eos in his regabat, cujusque nutui atque arbitrio ſeſe permittebant. Quæ porrò de voce *allevare* urget, ejusdem ſunt rationis ac illa, quæ ſupra ex Seldeno vidimus, ſi generalia ſcilicet reſpiciamus. Nimirum non obſtante, quod vox vel phraſis aliqua in certo quodam loco, exigente ſic materia ſubſtrata, peculiari ſenſu accipiatur, fieri poteſt, ut ali-

bi

bi, flagitantibus id textus subjecto vel aliis circumstantiis, alium quoque nobis pariat sensum. V. Unius positio non est alterius exclusio, præcipue cum expresse jam fuerit positum. Sanatio animæ non tollit sanationem corporis: utrumqne beneficium sæpe simul fuit collatum præsertim illis, qui in Ecclesia fideles vivunt. Dein non primario sed secundario saltim promittitur animæ sanitas, cum dicitur *etsi quis in peccatis fuerit* &c. quod tamen in sacramento extremæ unctionis aliter fieri debebat. VI. Si ea quæ medio loco ponuntur ejusdem conditionis sunt cum extremis, facile assertum concedi potest, ad omnes spectare. Cum vero actus, qui præcipitur hoc loco hujusmodi sit, ut vel non omnibus, vel non semper, aut ubique ejus fungendi facultas & copia sit, præceptum, quo is actus jubetur, non ad omnes, nec ubique aut semper, sed ad nos tantum pertinet, quibus ea facultas est. Qua ratione ad singulas Bellarmini objectiones respondeat admodum prolixe Joh. Dallæus, (*a*) videatur loco citato in libro de extrema unctione.

LX. Dum ergo per illam olei unctionem obtinebatur non animæ sanitas primario & per se, profecto non ultimum sacramenti requisitum deest. Nam ad hoc requiritur, ut animæ gratiam justificantem vi propria conferat, sed heic loci observavimus orationem fidei servare laborantem & remissionem peccatorum referri ad preces. Quid dicemus de reliquis Sacramenti conditionibus? Non est Christus hujus institutor, nec Jacobus primæve alicujus institutionis promulgator, sed adhortator saltim. Non adest materia à Christo instituta. Nam oleum præcise à Christo institutum ex nullo Nov. Test. loco probari poterit. Nec forma ostendi potest à Christo assignata.

 Nam

(*a*) *cap. VII. p. 26. seqq. & cap. 8. p. 37. seq.*

Nam preces Græcorum & Latinarum variant, nec ullibi in S. Scriptura hac ratione præcepta leguntur. Hæc autem requisita sacramenti essentialia si deficiunt, ipsa sacramenti essentia deficiet.

XLI. Quapropter merito ex Ecclesiis nostris exulat hæc unctio per oleum, non tantum ut superstitiosa, si habetur tanquam Sacramentum, quod gratiam justificantem ex opere operato conferat, sed etiam ut frustranea, si donum miraculorum cessavit pridem. Recte autem adhuc pro ægrotis retinentur preces, priori sublato. Ne vero quis putet, ac si fideles apud nos sine omni prorsus unctione salventur, pro more suo B. Huunius (*a*) rem erudite sequentem in modum deduxit: Habent suam fideles unctionem ex Deo, qua confirmati in extremis adversas tentationes diaboli, cogitationes mortis ac terroris inferni consistant. Dicuntur enim & sunt Christiani, id est, uncti à Christo sancto sanctorum sic denominati, qui Spiritu Sancto unctus sine mensura, de hac sua plenitudine fidelibus suis communicat gratiam pro gratia, & effundit eundem spiritum super nos quo & ipse est unctus. Juxta quod scriptum est: II. Cor. I. 21. Qui confirmat nos una vobiscum in Christum & qui unxit nos Deus est, qui etiam obsignavit nos, deditque arrham spiritus in cordibus nostris. Et I. Joh. II. 17. Unctio quam vos accepistis ab eo, manet in nobis, & non necesse habetis, ut quisquam vos doceat, sed unctio ipsa docet vos de omnibus, Ibi per unctionem aliud nihil quàm Spiritum S. intelligit, cujus virtute uncti & obsignati, roboratique fideles, non dubitant de gratia Dei & remissione peccatorum. Siquidem ille υἱοθεσίαν seu adoptionis Spiritu testimonium eis perhibet, quod sint filii Dei Rom. XIIX. 16. Atque sic feliciter

(*a*) *De Sacramenti cap. 7. p. m. 1009. Tom. I. oper. lat. edit. Witteb. 1607.*

liciter emigrant ex hoc seculo malo, quotquot hac unctione confirmati in misericordiam Dei fiducia Meditatoris recumbunt. Quam ad rem in fidelibus excitandam verbo opus est, quo tanquam oleo fides nostra in lampade cordium fovetur & alitur: opus item Sacramento Eucharistiæ, quo sigillatim illa Dei gratia remissioque peccatorum sanctissimi Christi corporis & sangvinis nobis sancitur.

TANTUM.



Clarissimo Viro

CONRADO GOTHOFREDO Tiefftrunck

Ph. M. & SS. Theol. cultori

S. P. D.

JO. ANDR. Schmidt PP.

PErfectum Theologum ex utroque constare, antiquitates sc. historiasque omnium Ecclesiarum nosse & dogmatum seriem, e Scriptura S. non duntaxat habere perspectam sed & accurate illam proponere, ad praxin ad deducere, imo si necessum fuerit adversus ἀντίλεγοντας *solide defendere, recte judicasti. Prius enim Tibi monstrat faciem ecclesiæ omnium temporum, ut aliis ostendere queas quam longe distent hodie ab ea felicitate quam se solos possidere credunt. Posterius autem te aptum reddit perfectumque ad omne opus bonum. Cum ergo in hoc cum laude Doctorum Tuorum Te hactenus probe exercueris, & in illo monstrare voluisti hospitem Te non esse. Elegisti eum in finem*

argu-

argumentum de curatione morborum per oleum sanctum, & rerum varietate jucundum & usu non contemnendum, si doctrinam sacramentorum, quæ ab aliis ponuntur, cogitaveris. Quod quemadmodum heri contra eruditas opponentium objectionis me præside defendisti egregie, sic post exantlatos labores ex animo Tibi de publico hoc specimine gratulor. Faxit D. T. O. M. ut studia Tua porro cedant in ecclesiæ commodum, & Tuam Tuorumque utilitatem. Adsint Tibi in itinere angeli custodes atque incolumem Te ducant domum, quam ut sine funere videas ex candido pectore voveo. Vale. Dabam e museo d. XXIII. JUN. A. O. R. MDC. VC.

